

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. IX.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

E. Quidam credentes non sunt credentes, quod est absurdum. Major etiam & minor sunt propositiones contradictorie sibi invicem oppositæ, quarum prior est Christi, posterior thesios nostræ contradictoria. Prior propterea vera, posterior falsa. Et per consequens thesis nostræ quinta vera.

Ne autem quis hic opponat illos, qui in morte Christi resurrexerunt, notandum est ex ante dictis, quod sermo hic tantum fit de ordinariâ piorum resurrectione, non vero de extraordinariâ.

§. IX. Atque eandem etiam Conclusionem Chiliaftas admittere constat ex Animadv. §. 27. ubi D. Animadvertens ita scribit: *En, nulli vivi hic (Apoc. xx. 12.) recensentur, qui judicandi erunt, (in judicio extremo post mille annos instituendo, ut præcedentia loquuntur) uti ante mille annos factum erat sed tantum mortui.* Et mors, & infernus quæ nondum sublata in pueris centum annorum, ceu semine falso Gogi & Magogi resido, in mille illis annis superstitionibus Ezech. XLVII. adhuc deservit, quibus finitis omnia coram vivente in seculum seculorum, Domino nostro Jesu Christo, suscitabuntur, & in lacum ardentem qui est mors secunda, conjicientur. Nam, si quis non inveniebatur scriptus in libro vitæ ille in lacum ardentem sulphureum detrudebatur Apoc. xx. 15. (ex quo tamen loco potius sequeretur, quod in illo judicio quidam non fuerint coniecti in lacum ardentem) *Ibi terra mortuorum in mille annis secundum vaticinium Esaiæ Esa. 26. 14. non resurgentium in mortem secundam ibit, quæ resurrectio non illorum est, qui ante, sed qui post millennium impletum coram judicio adhuc sistuntur, & illa dicitur in Symb. Apost. resurrectio carnis seu eorum, qui spiritu Christi, dum viverent, illo tamen se regi non passi sunt.* Hucusque D. Animadvertens ex quibus non solum patet, quod juxta ipsum

in resurrectione supremâ (aliam enim post adventum Christi & cum eo conjunctam resurrectionem, nemo unquam statuit) soli impii sint resurrecturi, omnesq; in lacum ardentem seu gehennam ignis præcipitandi, quam proinde vocat resurrectionem carnis, h. e. eorum qui in carne vixerunt, ut ita nullus ibi piorum resurrectioni locus supersit; sed etiam illud constat, quod in regno millenario pios non morituros statuunt Chiliastæ (quemadmodum etiam è Lactantio in Præfatione docet D. Animadvertens) ait enim mortem tum dominaturam esse tantum in pueros centum annorum (tempore sc. regni millenarii) per quos intelligit reliquias Gogi & Magogi, unde adeo si omnes pii jam in adventu Christi resurrexerunt, post illum vero in regno millenario nulli amplius pii moriuntur, sponte sequetur, quod nulla detur piorum resurrectio, post illam quæ futura est in adventu Christi. Eodem etiam tendit, quæstio illa quam D. Animadvertens movet §. 12. *Ubinam, inquit ibi, spiritualiter resurgentes cum Christo mille annos vixerunt aut regnarunt? cum nemo fidelium mille annos unquam vixerit?* Qua quæstione nihil aliud vult, quam D. Johannem in Apocalypsi tales mille annos determinare, quos singuli piorum vivendo expleant, ut inde inferat hos mille annos nondum esse præterlapsos. Expectant itaq; Chiliastæ tale regnum millenarium, in quo fideles non sint morituri, ut adeo maneat, post resurrectionem in adventu Christi, aliam piorum resurrectionem non dari.

§. X. Idem fere docet Uxor D. Animadvertentis in colloquiis fidei p. 790. *Da / tempore millenarii regni wird der Tod nicht mehr seyn in der Stadt Gottes / wohnen diese Kinder / filii resurrectionis primæ, wohnen / und eine Hütte Gottes bey den Menschen seyn werden.* Ja